

peculiarem indolem singularem quoque actionem
hinc inde exercent ideoque diuersa plane largiun-
tur remedia.

C A P V T . I.

MENSTRVA AQVEA.

§. 70.

Aqua simplex, non destillata, omnis saporis, odoris et coloris expers et plane pellucida, fluidum sifit, cuius particulae, quamdiu fluiditas cernitur, perenni motu agitantur. Egelida, in corpus humanum ingesta, nullum stimulum fibrae solidae musculari adfert, acrimonias, humoribus intime non inhaerentes, sed adiunctas quasi, quascunque diluit, vimque earum infringit et aliqua ex parte secum ex corpore dicit, materiem viscidam laxioris texturae fluidiorem reddit et ad euacuationem disponit, gluten naturale molle servat, hincque in solidis humectationis effectum et flexilitatem inque humoribus fluiditatem producit et ad appositionem particularum chylosarum earumque assimilationem quidquam confert; cæterum diuresin naturalem adiuuat. Idem, sed maiori cum effectu praestat tepida, eademque gluten adeo emollit, ut solida magis laxa fiant. Calida autem ob plures, quas fouet, particulas igneas fibram muscularē stimulat, fluida exagitat, aquosas partes cum salinis ad se rapit, et ex corpore eliminat;

minat; hinc siccitatem in solidis et fluidis relinquit. Minus humectat frigida, multo minus adhuc gelida, mobiles particulas compescit; quapropter fibram roborat et sensitatem minuit: minus etiam ea diluit nec acrimoniarum vim valde infringit.

§. 71.

Aqua fontana, vel pluialis vel fluuiatilis destillata, aqua simplici, non destillata, purior natura tamen calidior est. Magis itaque fibram muscularam afficit, frigida licet, minus tamen quam non destillata roborat, neque etiam tepida adeo humectat. Profundius penetrat, salinas substantias magis ad se rapit et humores magis attenuat. Calida fortius stimulat, fluida magis mouet humorisque perspirabilem magis ac non destillata auget. Diuresin non adeo promouet siue ea tepida siue frigida siue calida sit.

§. 72.

Aqua non destillata calida vel etiam ebulliens, corporibus naturalibus assueta, partes volatiles, fere euolutas, in se suscipit itidemque cum his partes quasdam fixas, saponaceas, mucilagineas, gelatinosas, salinas et gummosas extrahit seque his vnit. Aqua haec, cum corporibus decocta, dictas partes fixas, firmius cohaerentes, magis recludit et extrahit, immo adeo resinosas, cum gummosis arctius connexas, suscipit. Hinc quoties volatiles, odore percipiendae, partes ex corporibus extrahendae sunt, calida seu ebulliens tantum affordenda est, et, quoties fixiores eliciendae sunt,

eadem

eadem cum corporibus decoquenda est. Quodsi vero corpora et volatiles et fixas partes salutares simul continent, aliis modis praeparationis necessarius est. E. g. lignum Sassafras et volatilibus et fixis, utrisque vtilibus, instructum est. Decoquatur certa quantitas dicti ligni cum aqua; remoto ab igne decocto, adhuc ebullienti aut ad minimum calidissimo, addatur denuo eadem eiusdem ligni quantitas. Stent cuncta per quadrantem horae aut ultra in digestione absque igne, et calidum vel etiam tepidum usurpetur. Ita vis stimulans et resoluens in tali decocto maior et constantior erit itidemque depuratio humorum fortior eodem obtinebitur.

§. 73.

Necessaria etiam est, ut aqua vel fontana vel pluvialis etc. destillata in officinis prostet. Licet enim ad potionis compositas a medicis plerumque aquae destillatae odoratae praescribantur, requiritur tamen, ut, si vires simplicium accuratius explorandae sint, fluidum quoddam admittatur, quod nullam mutationem simplicibus inducit. Negandum quidem non est, plerumque ad obtainendum huncce finem aquam simplicem non destillatam destinari posse, nihilo minus tamen tum ob puritatem istius aquae, tum ob ipsos aegrotantes, qui aquae simplici non destillatae nullam vim adscribunt, destillata praefstat. Praeterea remediorum quorundam indoles eam adeo requirent evidenter, nisi alias mutationem pati debeant. Sic emulsio ex aqua simplici destillata et amygdalis dulcibus para-

parata emulsioni ex iisdem seminibus et aqua simplici non destillata paratae praefat: illam enim multo sapidorem, gratiorem immo efficaciem quam hanc habebis. Caeterum si potionē cum aqua simplici interdum ad duos, tres pluresue dies componendae sint, destillata omnino ob euitandam corruptionem necessaria est; quapropter nunquam ea possunt carere officinae.

C A P V T II.

MENSTRVA SALINA.

§. 74.

Menstrua salina fluida largiuntur, quae aquam salibus vnitam continent. Iam vero salinis quibuscunque particulis, in fluiditate constitutis, maior mobilitas et efficacitas a natura inest; hinc ab eiusmodi menstruis maiorem efficaciam in corpore humano expectabis. Cum autem salia tam diuersae indolis sint, et singula quoque, ratione motus particularum insigniter a se inuicem differant, multos etiam atque diuersos inde dependere effectus, coniiciendum est. In genere igitur, respectu solidarum et fluidarum corporis humani partium, salibus stimulantem, exsiccantem, adstringentem et roborantem vel relaxantem et resoluentem vel etiam coagulantem vim inesse, notamus. Deinceps corporum simplium, medicata vi instructorum, efficaciam, appropriata si adhibeantur menstrua, augeri, id tamen,

E

prout